

Resp. Interrogationem hanc tribuendam esse Judæis nondum conversis, qui Paulum Christo nomen dedisse adhuc ignorabant, vixque aliquid de Religione Christiana noverant. Sed Romæ alii erantsive Judæi, sive Gentiles, ejusdem Religionis documentis plenius imbuti, et quorum fidem jam in toto orbe celebrem fuisse testatur Apostolus: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* (Rom. i. 8.) Jam formata igitur erat Ecclesia Romana, priusquam ad eam scriberet et venisset Paulus. Quis vero prima illius fundamenta jecit? Non sane Paulus qui ab ea urbe semper abluerat; superest ergo ut à Sancto Petro fundata fuerit; quod affirmat unanimis antiquitas. Deinde ad eam perficiendam suis documentis et laboribus plurimum contulit Sanctus Paulus.

Obj. 7°. Esto Petrus Romam venerit, et Romanus Pontifex, quatenus ipsius successor, primatum habeat; at certe eum ex jure divino non obtinet: quod enim Petrus suam Romæ sedem fixerit, factum est mere humanum.

Resp. Dist. Romanus Pontifex primatum ex jure divino non habet eo sensu quod à Christo non sancitum fuerit; ut Romanus Pontifex, quatenus est Romæ Episcopus, primatum habeat, conc. Romanus Pontifex, quatenus eligitur ut Petri successor, primatum non habet ex jure divino, neg.

*Successio ipsa, inquit Bellarminus, ex Christi instituto et jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro pontificatum duraturum usque ad finem mundi; et proinde quicumque Petro succedit, à Christo accepit pontificatum. At vero quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, fit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, . . . . . et tunc, moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset: potuisset quoque semper manere An-*

*tiocliæ, et tunc Antiochenus sine dubio successisset: Quia vero Romæ sedem fixit, et tenuit usque ad mortem, inde factum est ut Romanus Pontifex ei succedat.* ( Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. tom. 1. pag. 351. edit. Pragæ. 1721. )

---

## CAPUT II.

*Sine Romanus Pontifex Concilio generali superior.*

**E**A de quæstione non mediocri *Ultramontanos* inter, præsertim Italos, et alios Theologos, præcipue Gallos, exorta est controversia: priores enim Romani Pontificis autoritatem justos ultra limites promovendi nimium studiosi, eum Conciliis generalibus ita superiorem esse contendunt, ut si Concilio non adsit, vel non consentiat, nihil decernere possit Synodus generalis, quod Papam obliget; hanc autem doctrinam antiquis Patribus inauditam rejiciunt alii Theologi, inter quos eminent Galli, cum quibus sit

### PROPOSITIO.

*Romanus Pontifex Concilio generali autoritate inferior est.*

Probatur 1°. Supremus et infallibilis controversiarum ad fidem pertinentium, judex eum certe superat autoritate, qui falli potest: atqui Concilium generale est supremus et infallibilis controversiarum ad fidem pertinentium judex, siquidem universam repræsentat Ecclesiam; Romanus vero Pontifex falli potest, ut præbaturi sumus; ergo Romano Pontifice Concilium generale superius est. Deinde Concilio generali, seu Ecclesia, inferior

est, qui ipsi tenetur obtemperare: atqui Romanus Pontifex, etc. Sic enim jubet Christus: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* (Matth. 17. 18.) Porro ex hac regula Papa non excipitur; tum quia Christi verba generalia sunt, nullumque exceptionis vestigium in tota Traditione reperias; tum quia Papam ab ea lege non eximi fatentur ipsimet Romani Pontifices. Sic v. g. affirmat Sylvester II. *Constanter dico, quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sapiusque admonitus, Ecclesiam non audierit; hic, inquam, Romanus Episcopus, præcepto Dei est habendus sicut Ethnicus et Publicanus;* (Epist. ad Seguinum Senonensem.) ergo Ecclesia Romana Pontifice superior est; ergo et Synodus generalis.

Prob. 2°. Aliquando necessariam esse Conciliorum generalium celebrationem, tota agnovit antiquitas, ut patet ex dictis: atqui nihil absurdus excogitari potest, si Papa Concilio superior sit, et majori gaudeat autoritate; ridiculum enim prorsus est, causam aliquam nolle dirimi, nisi iudicio Tribunalis quod difficile conveniri potest; dum aliud semper præsto est aditu facillimum, et cujus major est certitudo et autoritas: atqui Concilia generalia, non nisi cum multis difficultatibus et impensis congregari possunt, Tribunal vero Romani Pontificis facile adiri potest ad dirimendas controversias, et in hypothesi quam refellimus, non levioris, imo majoris est certitudinis et autoritatis; ergo vel totam antiquitatem errore deceptam esse dicendum est, cum Synodorum generalium celebrationem ut necessariam habuit; vel asserendum est Concilium generale Romano Pontifici autoritate præstare.

Prob. 3°. Nullus inferior jus habet, causam à superiore definitam iterum examinandi et definiendi; quisquis igitur, post pronuntiatam ab alio sententiam, rem eandem ad suum tribunal revocet, suoque iudicio subicit, superior merito cen-

sendus est: atqui nunquam, post Concilium generale, rem aliquam judicavit Summus Pontifex; sæpe vero, post Summum Pontificem, Synodus generalis. Id variis compertum est exemplis; sic causa Nestorii à Papa Cælestino I. definita, à Concilio Ephesino retractata est; sic Chalcedonensis Synodus Eutychianismum, à sancto Leone primo proscriptum, illiusque Pontificis Epistolam suo subiecit examini; eodem modo se gessit sexta Synodus erga Agathonis Epistolam, quæ Monothelismum profligaverat; sic Concilium Constantiense Wiclefismum, à Joanne XXII. et Tridentina Synodus Lutheranismum, à Leone X jam damnatum, iterum excusserunt.

Prob. 4°. Qui jus habet alium iudicandi, condemnandi, gravissimisque pœnis plectendi, eum certe autoritate vincit, in quem tales jurisdictionis actus exercet: atqui Concilium generale jus habet Papam iudicandi, etc. cum enim Ecclesiam representet, non potest jus indebitum arripere, et limites à Christo sibi præfixos transgredi: atqui non semel contigit, ut Synodus Œcumenica summos Pontifices iudicaverit, anathematique subjecerit; ita se gessit Concilium generale sextum adversus Honorium: sive enim eum ut Hæreticum, sive ut Hæresis fautorem, damnaverit, nihil interest, sufficit ut è sacris Dypticis nomen ejus expunxerit, et scripta ejus flammis tradiderit; quod factum esse nemo dubitat; si vero potuit Concilium generale Honorium Papam, licet mortuum, licet juxta quosdam Theologos, Hæreseos fautorem duntaxat, pœnis omnium gravissimis afficere, quanto magis poterit damnare Papam viventem, qui vel Hæresi manifesta, vel criminibus apertis grande scandalum excitaret? Quo jure nisi polleret Concilium generale, jam non posset Ecclesia Hæresim cui Papa suffragaretur, compescere, nec scandalum ex pravis alicujus Papæ moribus exortum tollere: atqui nihil fingi potest, quod magis pugnet cum

sapientia Christi, qui in hac hypothesis Ecclesie suæ bono non satis providisset, nullamque ei viam suppeditasset, qua tantum malum depelleret.

Prob. 5<sup>o</sup>. Illud certissimum est, quod Ecclesia tribus in Conciliis generalibus definivit, et decretis et factis: atqui veritatem quam defendimus Ecclesia, etc. nam 1<sup>o</sup>. Concilium Pisanum, ad extinguendum Schisma, ex omnium Principum consensu anno 1409 congregatum fuit. Huic interfuere ex Italia, Gallia, Germania et Anglia plusquam 300 Episcopi; Gregorium vero XII et Benedictum XIII, de pontificia dignitate contendentes hoc titulo spoliavit, et Alexandrum V substituit. Tandem decreto sancivit *Concilium generale, universam Ecclesiam representans, esse superius Papa, et ad illud pertinere cognitionem et iudicium controversiarum, quæ Pontificatum Romanum spectant. Quæ omnia rata habuit Alexander V Papa legitimus.*

2<sup>o</sup>. Concilium Constantiense, anno 1414, ex toto orbe Christiano convocatum, ita statuit: (*Sess.*) *Hæc Sancta Synodus, generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis Schismatis, et unione ac reformatione Ecclesie Dei, in capite et membris fienda, decernit quod ipsa Synodus... Ecclesiam militantem representans, potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cujuscumque status ac dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem et extinctionem dicti Schismatis, et reformationem generalem Ecclesie Dei in capite et membris.* Idem declarat in Sess. 6. Quæ omnia cum probasset Joannes XXIII, postea Sess. 37 ob sua crimina depositus est, et huic sententiæ acquievit; huic autem cum suffectus fuisset Martinus V, is quæcumque à Concilio definita fuerant, approbavit.

3<sup>o</sup>. Concilium Basileense ab Eugenio IV qui Martino V successerat, congregatum, quæ decreverat Synodus Constantiensis confirmavit. (*Sess. 4. et 5.*) Cum autem postea Concilium inter et

Eugenium ortæ essent dissensiones, ad meliorem sententiam revocatus Eugenius, quidquid ad sessionem usque decimam sextam actum fuerat, approbavit.

#### Solvuntur objecta.

Obj. 1<sup>o</sup>. Christus his verbis, *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Petrum illiusque successorem Romanum Pontificem constituit Ecclesie fundamentum; ergo Concilio generali, sive Ecclesia congregata non inferior est; neque enim fundamentum à domo pendet, sed domus à fundamento.

Resp. Neg. conseq. Quamvis enim, ob primatum Petro concessum, ad eum specialiter referenda sint Christi verba, ceteros tamen Apostolos etiam spectant. *Jam non estis hospites et advenæ, inquit Apostolus; sed estis cives, . . . superædificati super fundamentum Apostolorum.* (*Ephes. 2. v. 19. et 20.*) De nova Jerusalem, sive Ecclesia, à Joanne dictum est: *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* (*Apoc. 21. 14.*) Jam vero, quamvis Apostolus quisque fuerit Ecclesie fundamentum, inde colligi non potest Episcopos Apostolorum successores supra Ecclesiam esse constitutos; idem ergo sentiendum est de Romano Pontifice Petri successore.

Obj. 2<sup>o</sup>. Dum Christus (*Joan. cap. ultimo*) oves suas Petro, et in ejus persona Romanis Pontificibus pascendas tradidit, aperte significavit Summum Pontificem esse Pastorem, reliquos autem fideles gregem: quis autem negaverit Pastorem esse grege superiorem? nonne inverteretur ordo, si Pastor à grege, non vero grex à Pastore regeretur?

Resp. Hunc locum à SS. Patribus non de solo Petro intelligi; sed de singulis Apostolis, eorumque successoribus Episcopis; ita ut in Persona Petri, tanquam primarii, et omnes Ecclesie Pastores

representantis, etiam ipsis dictum fuerit, *pasce oves meas*. Quas oves, inquit vetus Auctor apud S. Ambrosium, et quem gregem, non solum tunc Beatus suscepti Apostolus Petrus; sed et nobiscum eas accepit, et cum illo eas nos accepimus omnes. (*Lib. de Sacerd. in append. p. 359.*) Idcirco in præfatione Missæ de Apostolis, omnes dicuntur *operis Christi Vicarii, et gregis sui Pastores*. Quis autem inde concludat singulos Apostolorum successores esse Concilio generali superiores? idem igitur inferre non licet in gratiam Romani Pontificis.

Obj. 3°. Ex decretis Concilii Constantiensis nihil colligi potest, si quo tempore condita sunt, Concilium non esset generale; atqui res ita se habet; siquidem ex tribus *obedièntiis*, quæ præhabant Joanni XXIII, Gregorio XII et Benedicto XIII, una tantum, scilicet Joannis XXIII, intererat Concilio, aliis dissentientibus; ergo ex decretis Concilii Constantiensis nihil colligi potest.

Resp. Neg. min. Quamvis enim sola Joannis XXIII *obedièntia* adfuerit, cum decreta Sess. 4 et 5. condita sunt, nihilominus generale fuit Concilium Constantiense; 1°. quia paucorum absentia non magis impedire potuit, quominus universa Ecclesia in Concilio Constantiensi præsentaretur, quam in aliis tot Conciliis universam Ecclesiam, ex omnium consensu, referentibus, et à quibus tamen nonnulli aberant Episcopi: atqui pauci erant ii, ex quibus Gregorii XII, et Benedicti XIII conflabantur *obedièntiæ*; 2°. quia ii omnes postea ad Concilium accesserunt, nihilque adversus Sess. 4 et 5. decreta reclamantes, tacite consenserunt, imò et expressè, cum Sess. 4. actum est de iis: *propter quæ Papa possit corrigi et deponi*; quæ sanè questio non potest agitari, nisi Papa credatur Concilio inferior.

Præterea ipsimet Pontifices Romani Concilium Constantiense, sine ulla exceptione, tanquam generale agnoverunt. Nam Martinus V, in Bulla

adversus Hussitas, inter articulos de quibus jubet interrogari Hæreticos, ad Ecclesiam redeuntes, istum præscribit: *Urum credat, teneat, asserat, quod quodlibet Concilium generale, et etiam Constantiense, universam Ecclesiam representet*. Eugenius IV in litteris ad Fredericum III, Romanorum Regem, anno 1448, paulo ante obitum datis, mentem suam sic aperit: *Concilium generale Constantiense, sicut cetera alia Concilia, Catholicam militantem Ecclesiam representantia. . . sicut ceteri antecessores nostri, suscipimus, amplectimur et veneramur*. Ita refert Raynaldus. (*Tom. 18. Annal. Eccles.*) Denique in Romana Conciliorum generalium editione Concilium Constantiense inscribitur, et appellatur *Œcumenicum*.

Inst. Ea decreta nihil probant, quæ intelligenda sunt de tempore Schismatis, et Pontifice dubio, cui mirum non est prævalere Concilium, cum Pontifex dubius censeatur nullus: atqui decreta Concilii Constantiensis intelligenda sunt de, etc. ut satis patet ex eo quod dixerit *quemlibet. . . teneri obedire Concilio ( generali ) in his quæ pertinent ad fidem, et extirpationem dicit Schismatis*; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Nam decreta Sess. 4 et 5. de omni tempore, etiam quando unus est Papa certus et indubitatus, accipienda esse manifestum est; 1°. enim statuit Synodus. (*Sess. 5.*) *Papam teneri, præceptis hujus sacræ Synodi, et cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, obedire*: atqui per aliud quodcumque Concilium generale, non intelligendum est illud tantummodo, quod occasione Schismatis, ubi duo de Pontificatu contenderent, haberetur, ut satis patet; 2°. declarat Sancta Synodus, non solum in causa Schismatis, sed etiam in his quæ pertinent ad fidem et reformationem Ecclesiæ, in capite et membris, Concilium esse *Papa superius*. Atqui expositio fidei, et disciplinæ restitutio, non Schismatis tantum, sed om-

nia Ecclesiæ tempora spectant; 3°. Synodus quæ Pontificibus indubitatis leges constituit, ipsis superiorem sese declarat: atqui Constantiensis Synodus Pontificibus, etiam indubitatis, leges præscribit; statuit enim, edicto et quidem perpetuo, quos scilicet obstrictos voluit omnes Pontifices Romanos, qui sane singuli futuri non erant dubii, ut celebretur Concilium generale, 1°. *in quinquennium, deinde in septennium, et deinceps de decennio in decennium*; ergo, etc.

Obj. 4°. Concilium Lateranense III. ait majorem curam in Romani Pontificis, quam in aliorum præsulum electione adhibendum esse, quia si malus eligatur, *non potest recursus ad superiorem haberi*; (Tom. 10. Concil. pag. 1508.) Ergo Concilium generale Romano Pontifice non est superius; alioquin ad ipsum *haberi posset recursus*.

Resp. Neg. conseq. Id quippe unum à Synodo Lateranensi significatur, nullum moraliter loquendo Superiorem esse, qui malis è pravi Pontificis defectu pullulantibus mederi possit. Raro enim celebratur Concilium generale, cui soli subicitur. Vitiosus Episcopus ex superiori aliqua se de pendet, quæ corrigi vel deponi queat. Nulla vero est sedes particularis, nullus privatus Episcopus qui in Romanum Pontificem habeat auctoritatem, eumque possit, quantumvis indignum, è suo gradu dejicere. Potest quidem ad depellendum grave hoc malum, indici Concilium generale; potest Christianorum Principum implorari auxilium: sed hujusmodi remedium variis incommodis et diuturni Schismatis periculo esse obnoxium, nimis comprobavit experientia. Ergo licet Concilium generale Romano Pontifici auctoritate prævaleat, dicere potuit Synodus Lateranensis, nullum moraliter loquendo Superiorem esse, qui malum Pontificem coercere queat.

Obj. 5°. Concilium Florentinum generale definit, Romano Pontifici datam esse potestatem gubernandi universalem

universalem Ecclesiam: atqui id nihil aliud est, quam declarare Romanum Pontificem esse Concilio generali superiorem; ergo, etc.

Resp. 1°. Concilium Florentinum ab omnibus, et maximè Gallis, non admitti ut Œcumenicum, ac proindè majorem esse Concilii Constantiensis auctoritatem.

Resp. 2°. Neg. min. Nam, ut ipse agnoscit Duval, Doctor Sorbonitus, vir hæc in re minimè suspectus, potestas illa regendæ universalis Ecclesiæ intelligitur de universa Ecclesia *distributive* sumpta, non *collective*, et in Conciliis congregata; id est, Romani Pontificis auctoritas, ad omnes et singulas Ecclesias extenditur, salvo tamen Episcoporum jure; at superior non est supremâ Conciliorum generalium auctoritate, à quibus tota representatur Ecclesia; hanc esse Concilii Florentini mentem, ex eo colligi potest, quòd verbis objectis statim ista subjunxerit, *quemadmodum et in actis Conciliorum œcumenicorum, et in sacris Canonibus continetur*; hæc autem verba apposita sunt, ad coercendam intra debitos limites Pontificiam potestatem, quæ ex Conciliis et Canonibus æstimanda dicitur: atqui potestas quæ ex Conciliis Œcumenicis æstimari debet, ipsis superior non est.

Hic observandum est Gerson, qui Concilii generalis auctoritatem strenuè semper defendit, non semel tamen hanc loquendi rationem usurpasse, quam adhibet Concilium Florentinum. In Libro, v. g. *de vita spirituali*, scribit Papam habere dominium superioritatis supra totam Ecclesiam. (Tom. 2. oper. Gersonii novæ edit. pag. 34.) Atqui nemo suspicabitur voluisse Gerson his verbis Pontificem Concilio generali antepone. Sic enim ibidem testatur: *Nihilominus habet Ecclesia, synodaliter congregata, plenitudinem potestatis, etiam super Papam*; (Pag. 359.) ergo per totam, vel universalem Ecclesiam, intelligere necesse est omnes et singulas Ecclesias, *distributive* sumptas, non autem

Ecclesiam collectivè spectatam, vel synodicè congregatam; ceterum diffiteri non possumus ambiguum esse hanc loquendi rationem. Quapropter cum in Synodo Tridentina, (Sess. 23.) paratus esset Canon 8. de autoritate Summi Pontificis, in quo verba ista, *potestas pascendi universalem Ecclesiam*, legebantur, fortiter obstiterè Galli ne usurparentur, et quidem eam ob causam, quòd supremæ Conciliorum generalium autoritati nocere viderentur.

Obj. 6<sup>o</sup>. Ex Concilio generali Lateranensi quinto, ex antiquitatisque monumentis, Romani Pontificis est, Concilia, etiam generalia, convocare, dissolvere, in ipsis præsidere, concludere: atqui hæc omnia satis arguunt, Romanum Pontificem Conciliis, etiam generalibus, superiorem esse; ergo; etc.

Resp. 1<sup>o</sup>. Concilium Lateranense quintum non fuisse generale, cui scilicèt pauci interfuère Episcopi ex paucis Provinciis, à quo tota abfuit Ecclesia Gallicana, atrocibus quibus tunc tota Italia flagrabat bellis impedita, et postea appellavit ad Papam melius consultum, ad Conciliumque generale congregandum. Id agnovit ipse Bellarminus, licèt in extendenda Rom. Pontificum autoritate ultrà modum audentior: *De Concilio Lateranensi*, inquit, *nonnulli dubitant an fuerit verè generale, ideo usque ad hanc diem questio superest inter Catholicos. (Lib. 2. de Conciliis, cap. 13.)*

Resp. 2<sup>o</sup>. Dist. maj. Hæc omnia præstat Romanus Pontifex jure ordinario, ut primum et præcipuum Ecclesiæ membrum, conc. maj. necessario, et tanquam Concilio generali superior, neg. maj.

Itaque reverà jure ordinario Romani Pontificis est, Concilia generalia convocare, in iis per se: vel per Legatos suos præsidere et concludere, cum enim hæc ab ipso Concilio non fiant, æquum est ab illo fieri, qui præcipuam primariamque habet, tum dignitatem, tum potestatem: sed inde

non sequitur eum esse Concilio generali, à quo tota representatur Ecclesia, superiorem: nam in qualibet Republica, aliisque societatibus, eadem sunt illorum jura, qui primum locum obtinent: atqui tamen nullus inde colliget ipsas Respublicas et societates esse suis Præsilibus inferiores.

Dixi autem hæc à Romano Pontifice fieri jure ordinario; si enim Papa, cum urget manifesta Ecclesiæ necessitas, Concilium convocare, in eo præsidere vel concludere renueret, aut invitis ceteris Præsilibus, Concilium dissolvere tentaret, posset Synodus à Cardinalibus, nomine Ecclesiæ Romanæ, congregari, vel à Principibus; posset præsidere, qui post Romanum Pontificem primus est, ut Synodo Ephesinæ præfuit Cyrillus, aut qui ab ipso Concilio fuisset electus, ut Synodo Nicænæ præfuisse videtur Osius; posset Concilium, recedente et invito Pontifice, ultrà procedere, ut factum est in Constantiensi, postquam Joannes XXIII evasisset; posset deniquè Concilii translationem nullam et irritam declarare, ut fecit Synodus Basileensis.

Obj. 7<sup>o</sup>. Patres Chalcedonenses per Canonem 28 Episcopo Constantinopolitano secundum post Romam locum assignaverant, qui Sedi Alexandrinæ concessus fuerat; sicque ordinem à Concilio Nicæno constitutum evertabant. Violari Synodum Nicænam, et injuriam aliis Patriarchis fieri non tulit S. Leo: sed Canonem 28 Chalcedonensem in irritum misit his verbis: *Per autoritatem Beati Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus. (Epist. 79. cap. 3. pag. 298. col. 2. tom. 1. edit. Lugd. in-fol. an. 1700.)*

Undè sic: Canonem 28. Concilii generalis Chalcedonensis cassavit S. Leo, qui profectò indebitam autoritatem sibi non arrogasset; ergo Romanus Pontifex Concilio generali superior est.

Resp. Dist. ant. *Cassavit*, id est, irritum declaravit, conc. ant. id est, irritum fecit, neg. ant.

Itaque hujus verbi *cassare* duplex est apud Scriptores Ecclesiasticos significatio. Plerumque eadem est, ac irritum facere; nonnunquam verò idem significat, ac irritum declarare et cassum pronuntiare. Quo posteriori sensu usurpatur, tum in Decretali quæ Cœlestino Papæ III tribuitur: *Cassetis*, id est, inquit Glossa, *nullum pronuntietis*; (*Cap. cum dilectus tit. de elect.*) tum in Decretali Innocentii III: *Cassavimus*, id est, *cassum denuntiavimus*, ait glossator (*cap. accedens 1. tit. ut lite non contest.*)

Eo modo verbum *cassare* hic sumi videtur à S. Leone. Opus enim non erat ut irritum faceret Canonem 28 Chalcedonensem, ratus eo ipso nullum censendum esse, quòd inviolabili Patrum Nicænorum sanctioni adversaretur. *Omni penitus auctoritate est vacuum*, inquit, *quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum* (*Epist. 80. pag. 299.*) Porro quod omni penitus auctoritate vacuum est, nullâ sententiâ nullâque auctoritate necesse est irritum effici, sed tantummodò declarari ac denuntiari. Id autem hic facit S. Leo, tanquam Canonum custos et executor, *unitâ secum*, inquit, *Imperatoris fidei pietate*; Principis auctoritas meritò pontificiæ adjungitur, quia de antiquorum Canonum defensione et executione agebatur. Secus verò, si rescindenda forent quæ aliquid antea roboris habuissent.

Obj. 8°. Ille Conciliis generalibus superior est, qui ea confirmat: atqui Romanus Pontifex Concilia generalia confirmat; ergo ipsis superior est.

Resp. Dist. maj. Qui Concilia generalia confirmat, ipsis quidquid habent roboris, conciliando. conc. maj. confirmat, id est, approbat, neg. maj.

Itaque cum dicantur Summi Pontifices Concilia confirmare, illud eo sensu non intelligendum est, quòd totum Concilii robur à Pontifice pendeat, quasi ipsa Synodus Œcumenica omni auctoritate careat, quandiu Papæ confirmatio non accedit;

sed in eo tantum posita est Summi Pontificis confirmatio, quòd Synodi decretis suum addat suffragium, eaque approbet: nam 1°. in multorum Conciliorum, tum generalium, tum particularium actis legimus, Nicæna decreta *confirmari*: atqui hæc vocabulo non significatur, Nicæna decreta ab his posterioribus Conciliis suam firmitatem obtinere, sed tantum fuisse ab iis pro inconcussis habita; 2°. Romani Pontifices antecessorum suorum decreta sæpè confirmant: atqui illâ confirmatione, quidquam Romanorum Pontificum auctoritati detrahi, ne ipsi quidem opinantur adversarii; 3°. non Synodi tantum Œcumenicæ, sed et particulares, Sedis Apostolicæ decreta confirmarunt; sic, v. g. in Concilio Romano anno 466, Papâ recitante Decreta, *ab universis Episcopis et Presbyteris acclamatum est, hæc confirmamus.* 4°. Non semel dixere Veteres Concilia, etiam generalia, ab Imperatoribus confirmata esse: atqui non inde concludunt adversarii, Imperatores esse Conciliis generalibus superiores; sed id unum inferunt, nempe Concilia fuisse ab Imperatoribus approbata, promulgata, et eorum auctoritate munita, quâ ipsorum executioni efficacius provideretur; eæ quoque sunt Romani Pontificis partes, ut decretorum notitiæ et observationi consulat; quod primum quidem ejus probat, non verò eum Conciliis generalibus superiorem esse.

## COROLLARIA.

Ex eo quòd Romanus Pontifex Conciliis generalibus, quibus repræsentatur Ecclesia, sit inferior, sequitur 1°. ipsius potestatem non proprio arbitrio, sed juxta receptas Ecclesiæ regulas, et Canones à Conciliis præsertim Œcumenicis constitutos, exercendam esse et moderandam; quod non semel concessi sunt ipsimet Pontifices; *Dominentur nobis regulæ*, ait Cælestinus I, *non dominemur regulis*;

simus subjecti Canonibus, qui Canonum præcepta servamus. (Epist. ad Episcopos Illyria.) Confidimus quòd nullus veraciter Christianus ignoret, inquit Gelasius I ad Episcopos Dardaniæ, unius cujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliam magis exequi sedem, præceteris, oportere, quàm primam.

Sequitur 2º. licitas, imò necessarias esse aliquando appellationes à Romano Pontifice ad Concilium generale: à iudice enim inferiori ad superiorem appellari potest: atqui Romanum Pontificem Synodo generali inferiorem esse, demonstravimus. Præterea sic jubet Christus, dic Ecclesiæ: atqui ad Concilium œcumenicum provocare, nihil aliud est quàm juxta Christi præceptum dicere Ecclesiæ, eique deferre quod fidei vel disciplinæ contrarium est, ut emendetur et reprimatur. Hæc aperta est Augustini sententia, qui asserit Donatistis, à Melchiade Papa in Synodo Romana damnatis, unum adhuc superesse per fugium, ad plenarium scilicet Concilium. Ecce, inquit, putemus illos Episcopos qui Romæ judicârunt, non bonos fuisse iudices, restabat ad hæc plenarium Ecclesiæ Concilium. (Epist. 43. n. 19.) Denique innumera sunt hujusmodi appellationum exempla, quorum longam seriem describere vetat quam prosequimur brevitas.

### C A P U T III.

Utrum in definiendis fidei, morumque causis infallibilis sit Romanus Pontifex.

HÆC constantissima est Ecclesiæ Gallicanæ Doctrinæ, quam in celeberrima declaratione anno 1682 exposuit, in fidei quæstionibus præcipuas.

esse Summi Pontificis partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Contra stant Theologi quos Ultramontanos vocamus; ii verò Summum Pontificem sub duplici respectu considerant, nempe vel ut personam privatam, Doctoremque particularem, vel ut totius Ecclesiæ caput, Rectorem, Pastorem, qui ex officio et autoritate Apostolicâ partes Ecclesiæ publicas agens, fidelibus omnibus aliquod dogma ad fidem aut mores pertinens proponit, quod vocant loqui ex cathedra.

Romanum Pontificem, ut privatum Doctorem, errare posse in quæstionibus. . . . tum fidei quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit, omnes conveniunt, ait Bellarminus. (Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2.) Papam verò, quatenus est Ecclesiæ Caput et Doctor, sive cum ex Cathedra loquitur, falli non posse contendunt Ultramontani.

### P R O P O S I T I O.

Romanus Pontifex, etiam ex Cathedra loquens, in iis quæ ad fidem et mores pertinent, falli potest.

Prob. 1º. Ex Scriptura: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ait Christus, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. (Matth. 16. 18.) Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. (Ibid. cap. 28. v. 20.) Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. (Matth. 18. 17.) Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, ait Paulus. (1. Tim. 3. 15.) Unde sic: Illud privilegium non habet Romanus Pontifex, quòd in Scriptura soli Ecclesiæ promittitur: atqui in Scriptura privilegium non errandi soli Ecclesiæ, etc. ergo, etc.